

SÙV Θεῶ!
DISPUTATIONIS
De
EODEM ET DIVERSO.

THESIS I.

N Identitatis, Diversitatisq; naturam in-
quiriendi quanquam nos deterrere possit
difficultas, meritò tamen animat potius in-
signis per omnes Facultates & Disciplinas
se largiter diffundens necessitas & utilitas.
Quid enim, cum in veritatem quamcunq;
inquirimus penitus, sententijsq; disputa-
tionis cribro ventilatis eam è profundo e-
ruimus, frequentius est voce illa Distinguo? nec id immeritò; Nam
eruditum esse quid aliud est, nisi rerum differentias & convenien-
tias nosse, unumque ab altero rectè posse distinguere? Et pro-
fctò qui benè distinguit, benè docet; Omnis enim Doctrina in
Definitiones & Divisiones, ut duo summa capita, resolvi potest
& debet. Nostrum propterea institutum, freti summi Numinis
assistentia, pergemus & Ejusdem ac Diversi naturam sub placitam
revocabimus ventilationem.

II. Est autem *Idem* & *Diversum* inter Proprietates Entis dis-
junctas mediatas prima. *Proprietas Entis* est, transcendentalis sci-
licet, quia subiecto suo citra omnem operationem mentis compe-
tit; Non enim h̄ic loci consideramus *Idem* & *Diversum* prout pe-
cceliarem Locum Topicum constituit, ita enim notionaliter con-
sideratur, quatenus fundamentum vel affirmationis vel negatio-
nis est, ut videre est apud Aristot. lib. 3. & 7. Topic. c. 1. & 2. *Entis*
proprietas est non hujus vel illius in specie, sic ut Quantitates &
Qualitates in aliquo convenientes Identitatis nomine non ve-
niant, sed illæ Æqualitatem; hæ similitudinem habeant, quomo-
do Identitatem sumere videtur iterum Arist. quando 5. Metaph.
c. 19. Similia ταῦτα esse negat, qui ipse tamen vel immemor sui,
vel in latiori acceptione 10. Metaph. c. 5. Similia ταῦτα esse affir-